

Morbus Transplantatus

Id est,

NUPTIÆ

NOBILISSIMI, DOCTISSIMI & EXPERIENTISSIMI

DNI.

SIGISMUNDIGA.

BRIELIS OTTONIS,

MED. DOCT. CELEBERRIMI

SER. PRINC. ELECT. ARCHIATRI FIDISSIMI,

Nec non,

CASTISSIMÆ LECTISSIMÆ & VIRGINIS

EVÆ SOPHIAE

SCHMIDIÆ,

quas

Faustas ac felices

oprat

C. B. PP. Juv. Informator.



DRESDÆ,

TTPIS CHRISTOPHORI BAUMANNI, ANNO 1676.





Olers innocui doli patrator,
Autor lætitiæ & facetiarum,
Rifus alme faber, faber cachinni,
Centum fraudum Opifex, Cupido belle;
Quos jam dive paras jocos puelle?
Quas technas agitas novas proterve?
Et quas nequitas struis sceleste,
Queis rifus Veneri movere possis?
Subrides? tacito dolosque vultu
Te celare putas, puer tenelle?
Verum falleris, heus inepte, cæce,
Demens: aut vehementer ipse fallor,
Astus ni subolent mihi profundi.
Annon, ô lepidum caput, sagittâ
Nuper morbi potente fauciatâ
Ottonem Medicum, decus novenæ
Turbæ, Clarii Apollinisque ocellum?
Annon & Geneticis hoc dedisti
Vindictæ facinus? maligne Phœbi,
Phœbææque simul cohortis hostis.
Sic est. Vulneribus, doloribusque
Rides exanimem: tuumque tantum,
Possè arcum, impie, gloriaris, omnem
Urgens respuat ut malum medelam.

Non

Non Phœbus miserum, licet rogatus,
 Non Asclepius audit invocatus.
 Et nil Hippocrates, nihil Machaon,
 Norunt auxilii, nihilque clarus
 Galenus, Podaliriusve; frustra
 Est Hermes, licet ille Trismegistus.
 Sunt herbæ steriles, metalla vana;
 Gemmas destituit vigor; nec exta
 Conducunt animantium ferarum:
 In thermis nihil est opis speique.
 Venæsectio nil, nihil fricatus;
 Et dejectio nil, nihilque clyster;
 Nil prodest Vomitus, nihilque sudor;
 Nil emplastra, nihil Peruvianum
 Unguen, Balsamon aut Palæstinorum.
 Et somnus nocet, & nocet vigil nox
 Et luxus nocet, & nocet diæta.
 Spernis Pharmacopolam Amor, peritos
 Derides Medicos, anumque Circen,
 Chirurgos simul, & Magos inertes,
 Vanos exhibilans & Alchymistas.
 Verum, præproperè canis triumphum
 Nec dum Victor; & ante tempus audax,
 Exultas pueriliter superbus.
 Nondum Consilium virum reliquit,
 Ignotasque tibi repandit artes,
 Certus (tu dubites licet) salutis.
 Transplantare parat malum, quod urget,
 Suc.

1125.
Successu indubio. Miserta namque
Præclari est Juvenis Puella; morbi
Virgo vult fieri lubens receptrix.
Plaudis blande puer, quatisque palmas?
Atque auras tenero replet cachinno?
Nequam belle fugax, an hoc agebas
Ut risus Veneri hos movere posses?
Tales nequitas struas scelestæ,
Has technas agites novas proterve,
Istos sæpe pares jocos puella,
Centum fraudum Opifex, Cupido belle,
Risus alme faber, faber cachinni,
Autor lætitiæ & facetiarum,
Solers innocui doli Patrator.



Morbus Tran
Idest
 NUP
 NOBILISSIMI, DOCTISSIMA
 DN
SIGISMUNDO
BRIELIS O
 MED. DOCT. CE
 SER. PRINC. ELECT. AR
Nec non
 CASTISSIMÆ LECTISSIMÆ
EVÆSO
 SCHMIDT
quas
Faustas ac fe
oprat
 C. B. PP. Juv. I
 DRESDA
 TYPIS CHRISTOPHORI BAUM



177

